

DE SOCIETATIS IESU EXEMPTIONE

SUMMARIUM: Pars Prima: 1) De exemptione status questionis; 2) Historia brevis exemptionis; 3) Concilium Vaticanum II hac de materia; 4) Utrum exemptio suppressa an ex parte mutata sit.

Pars Secunda: 1) Origo et Qualitas Societatis Iesu exemptionis; 2) Historia brevis iurium circa exemptiones Societatis pontificiorum; 3) Natura exemptionis Societatis Iesu; 4) Conclusio brevis de Societatis Iesu exemptione; 5) Quaedam elementa essentialia exemptionis; 6) Exemptionis quaedam definitio.

Hoc in articulo agitur de exemptione in genere post CONCILIUM VATICANUM II et legem vigentis novi codicis iuris canonici necnon de Societatis Iesu propria exemptione, eiusdem Societatis Iesu 450^o anniversario foundationis.

PARS PRIMA

1. De exemptione: status quaestionis

Quoad statum quaestionis sequentia dicenda sunt: Exemptio sicut institutum iuris canonici natum est anno 628 et multis cum mutationibus in codice vigenti iuris canonici 1983 in can. 591 recipitur. Alibi hac de materia amplius egi¹.

Non desunt vero canonistae qui multa et optima

¹ KAY, D.J. «Le Origini Storiche dell'Esenzione» in *La Civiltà Cattolica* 1990-III, 478-488.

hoc de instituto exemptionis scripserunt. Doctrina autem nonnullorum canonistarum recentiorum de exemptione realitatem exemptionis et eius significationem in vita Ecclesiae tum universali tum particulari negat. Necessitas huius conspectus ex longissima evolutione conceptus exemptionis profluit quia in legibus a summis pontificibus latis mutationes maximas hoc institutum subiit.

Proh dolor, annis recentioribus post CONCILIUM VATICANUM II institutum exemptionis a nonnullis canonistis negatur et ab aliis, intellectu instituti carentibus, etiam oppugnatum est. Qui autem mentem Concilii perspectam habet, clare et firmiter asserit exemptionem iure canonico vigere ut infra videndum est. Post vero CONCILIUM VATICANUM II ingravescit problema inter canonistas quosdam qui credunt exemptionem classicam institutum quoddam esse definitive ad historiam relegatum. Quae quidem opiniones valent ut in scriptis aliorum canonistarum corrigantur.

Quaeritur ubinam leges vigentes exemptionis inveniri possint et etiam quales leges sint quibus valor exemptionis in iure canonico clarius appareat. Quo melius exponantur exemptionis principia, hac in expositione illud elegi institutum cuius sum sodalis, nempe, ius proprium et leges ecclesiales Societatis Iesu. Quae exemptio forma speciali atque evolutissima gaudet.

Cum quidem in Codice invenitur exemptionis institutum, canonistis oportet difficultates et errores quorundam auctorum exponere et adequate corrigere. Resecatis difficultatibus omnibus, opus est hic explicationem illius conceptus exemptionis rectius dare, qui etiam iure vigenti manet. Tunc denique tandem rogatur et definitur quid sit exemptio.

2. Historia brevis exemptionis

Vita consecrata, sicut consilia evangelica in Ecclesia et pro Ecclesia universali, donum Dei est (cf. can. 575). Structura iuridica secundum quam religiosi omnes auctoritati episcoporum subsunt canonibus 4, 8 et 23 CONCILII CALCEDONENSIS clarae sunt: religiosi omnes ordinariis locorum plerumque subsunt².

Abusus gravis huius potestatis episcopalis, centum septuaginta et septem annis postea, a PROBO, Episcopo apud Tortonam in Lombardia, Abbatem monasterii coegit, ut Romam iter faceret ut a Summo Pontifice remedium quaereret. Per exercitium primatus sui in universam Ecclesiam, derogando canonibus CONCILII CALCEDONENSIS latis, HONORIUS I primam in historia exemptionem in rem deduxit. Ipse Pontifex hanc primam exemptionem anno 628 monasterio

² *Conciliorum Oecumenicorum Decreta* (COD), curantibus J. ALBERIGO, J.A. DOSSETTI, P.P. JOANNOU, C. LEONARDI, P. PRODI, ed. tertia, Bologna 1973, 89: «*Qui vere et sincere singularem sectantur vitam, competenti honore digni habeantur. Quoniam vero quidam utentes habitu monachi ecclesiastica negotia civiliaque conturbent, circumeuntes indifferenter urbes necnon monasteria sibi instituere praesumentes, placuit nullum quidem usquam aedificare aut constituere monasterium vel oratorii domum praeter conscientiam civitatis episcopi. Monachos vero per unamquamque civitatem aut regionem subiectos esse episcopo et quietem diligere et intentos esse tantummodo ieiunio et orationi, in locis, quibus renuntiaverunt saeculo, permanentes. Nec ecclesiasticis vero nec saecularibus negotiis communicent, vel in aliquo sint molesti propria monasteria deserentes, nisi forte his praecipiat propter opus necessarium ab episcopo civitatis. Nullum vero recipere in monasteriis servum obtentu monachi, praeter sui domini conscientiam. Transgredientem vero hanc definitionem nostram, excommunicatum esse decrevimus, ne nomen Dei blasphemetur. Verum tamen episcopum convenit civitatis competentem monasteriorum providentiam gerere*». Postea COD.

Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli apud Bobbio concessit³. Quo in modo exemptio revera facta est ut ubicumque postea in iure canonico Ecclesiae viguit et viget.

Saeculis sequentibus institutum exemptionis evolutionem maximam et diversificationem habuit. Quae exemptio olim protectio praesertim monasteriorum fuit, eorumque autonomiae assicuratio, postea missionis apostolicae universalior fit ductio et liberatio, et in tempore haeresium atque catholicae reformationis salutare unitatis et veritatis remedium⁴. Ut per historiae vicissitudines saepe constat, exemptio sese evolvit et maximas mutationes subiit tamquam instrumentum apostolicum personale in manibus Summorum Pontificum.

Conceptus exemptionis mutationes per historiam subiit quae quattuor in gradibus a canonistis generaliter consideratur. 1) Bobbio anno 628 inter et Cluny anno 1027, pontifices exemptione utebantur ut vitam religiosam tutiorem et pacificam redderent; 2) Cluny

³ CIPOLLA, C., *Codice diplomatico del monastero de S. Columbano di Bobbio fino all'anno 1208*. Fonti per la storia d'Italia. Diplomi, sec. VI-XIII, Roma, 1918, 102-103: «*Petis nos igitur, ut monasterio Sanctorum Petri et Pauli in Ebobio constituto, quo praeesse dinosceris, privilegia Sedis apostolicae largiamur, quatenus sub iurisdictione sanctae nostrae, cui a Deo auctore presidemus Ecclesie constitutum, nullius ecclesie iurisdictionibus submitatur. Pro qua re piis votis faventes, hac nostra auctoritate, id quod a tua dilectione exposcimus, effectui mancipamus. Et ideo omnem cuiuslibet ecclesie sacerdotem in prefatum monasterium ditionem qualibet auctoritatemve extendere, atque sua auctoritate, nisi a preposito monasterii fuerit invitatus, missarum solemnitate celebrare omnino inhibemus*».

⁴ BEYER, J. «De novo iure circa vitae consecratae instituta et eorum sodales quaesita et dubia solvenda», *Periodica* 75 (1986) 586 [525-596].

anno 1027 inter et Assisi anno 1200, exemptio partem principalem reformationum cluniacensis atque gregorianae constituit; 3) Assisi anno 1200 inter et Concilium Tridentinum (annis 1545-1563) exemptio condicio sine qua non apostolatus activi ordinum mendicantium facta est; 4) Concilium Tridentinum inter et Concilium Vaticanum II exemptio, independenter a difficultatibus multis, forte institutum canonicum ad servitium Pontificum usque ad Codicem Iuris Canonici anno 1983 perduravit⁵.

Quo melius conceptus exemptionis hodie explicetur, unus summorum graduum huius instituti exemptionis examinatur, nempe, exemptio Societatis Iesu.

3. Concilium Vaticanum II

Quamquam principium exemptionis can. 615 primi codicis pii-benedictini 1917 clare definitum erat, episcopi interpellati ante Concilium multi petierunt, ut in ipso Concilio de instituto exemptionis ageretur. Explicationem vero omnium textuum Concilii et argumenta hic et nunc in hac expositione singulariter dari non possumus. Amplius tractatur alibi⁶. Conclusiones in documentis a Concilio solemniter approbatis et in novo Codice Iuris Canonici receptis sufficere debent ut exemptionem in iure vigenti iustificent. Quam exemptionem expressit atque retinuit feliciter ob bonum Ecclesiae Constitutio dogmatica *Lumen Gentium* 45, debilius Decretum *Christus Dominus* 35,

⁵ KAY, D.J., «Le Origini Storiche dell'Esenzione» in *La Civiltà Cattolica* 1990, III, 478-488; Scheurman, A. *Die Exemption nach geltendem Kirchenrecht*, Paderborn, 1938, 41.

⁶ KAY, D.J., *Exemption. Origins of Exemption and Vatican Council II*. Excerpta thesis. P.U.G. 1990, 1-100.

postea et documentum *Mutuae Relationes* anno 1978, clarius et aptius anno 1983 Codex novo can. 591. Codex ipse noster, saepe aestimatus documentum ultimum CONCILII VATICANII SECUNDI, instituti exemptionis optimus est vindex maximusque assertor.

4. Utrum exemptio suppressa an saltem ex parte mutata sit?

CONCILIO VATICANO II durante in motibus propriis PAULI VI et in Decreto *De Pastoralis Episcoporum Munere in Ecclesia* n. 8 a/b et in Novo Codice Iuris Canonici canonibus diversis libri secundi ordinaria, propria et immediata potestas agnoscitur episcopo dioecesano quae ad exercitium eius muneris pastoralis ab eo requiritur. Haec potestas aliis normis generalibus libri primi codicis specificatur. Dubitari non potest quin hodie moderator apostolatus in ecclesia particulari episcopus sit. Episcopus ut sponsor operum apostolatus Institutorum religiosorum in dioecesi can. 673-683 dici potest. Paragraphus prima can. 678 triplicem designat subordinationem Religiosorum potestati Episcoporum in apostolatu, nempe, in iis quae curam animarum, exercitium publicum cultus divini et alia opera apostolatus respiciunt. Subiectio episcopo dioecesano necessario est exclusiva quoad exercitium publicum cultus divini et curam animarum quia ipse moderator huius materiae est; sed quoad modum et spiritum, immo quod methodos quibus opera apostolatus a religiosis ducuntur, eius auctoritas exercetur modo limitatiori.

Doctrina nonnullorum auctorum hunc canonem tali modo intellexit, ut exemptio classica — conceptus ab eorum numquam definitus — ad historiam relegata esset. Quibus erroribus respondere oportuit. Quam

ob rem memores sint oportet canonistae can. 4 novi codicis: «*iura quaesita, itemque privilegia quae ab Apostolica Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive iuridicis concessa, in usu sunt nec revocata, integra manent, nisi codici canonibus expresse revocentur*». Exemptiones ergo non revocatae, tum iura tum privilegia, secundum codicem vigentem manent.

Immo valde necessarium est, conceptum exemptionis plenius illuminare, quo novae circa exemptionem impositae limites clarius appareant. Quae limites apostolatum institutorum exemptorum in dioecesi aliquantum circumscribunt.

Codex ipse explicat quali cum iure exempti apostolatum suum exercere debeant, indicando dimensiones externas exemptionis, a nonnullis canonistis modernis negatas. Can. 675 de expressione externa apostolatus institutorum loquitur, hortando ut spiritus instituti sese in operibus apostolatus instituti exprimat. Quae verba a *Decreto Perfectae Caritatis n. 8* assumuntur. Actio apostolica ad ipsam eorundem naturam pertinet. Proinde, tota vita sodalium spiritu apostolico imbuatur, tota vero actio apostolica spiritu religioso, id est, proprio, informetur. Ultra explicatur actionem apostolicam nomine et mandato Ecclesiae exercendam, in eius communionem peragere oportere.

Exempti igitur omnes adstringuntur, sua quoque ipsorum agendi ratione, ad communionem, sive cum ecclesia universali, sive cum ecclesia particulari, semper servandam. Nonne rogari debet quomodo fiet? Responsa in canonibus diversis inveniri possunt. Secundum can. 681 § 2 novi codicis conventiones scriptae Episcopum diocesanum inter et superiorem instituti redigantur cum Episcopus opera committit religiosi in quibus suae auctoritati subsunt (§ 1).

PARS SECUNDA

1. Origo et qualitas societatis Iesu exemptionis

Quoad exemptionem Societatis Iesu multa dici possunt. Imprimis a SANCTO IGNATIO donum vel charisma Sancti Spiritus accipitur cuius primi discipuli IGNATII participes quoque fuerunt. Anima omnium Societatis legum ex Exercitiis Spiritualibus et operibus caritativis misericordiae activo-apostolicis oritur. Sed charisma propriam structuram habet, quae lege plene exprimitur: immo est gratiae motus qui ut sit etiam protectus in legibus foundationis exprimatur oportet⁷.

Quoad structuram institutionalem-charismaticam Societatis instituti haec considerari possunt: anno 1534 vota apud Montmartre privata erant. Status canonicus IGNATII et primorum discipulorum in diebus illis associationi fidelium equiparari potest. Hoc modo ortus est nexus iurium et officiorum ad vitam communem sequendam cum vinculo duorum votorum paupertatis et castitatis immo nondum ad novum ordinem religiosum condendum. Aliis verbis structura charismatica vitae primorum patrum oratione et praxi sese evolvebat.

Anno 1539 desiderium primorum patrum ut ad Terram Sanctam irent impleri nequibat et Deliberationes, quadragesima tota durante huius anni, tenebantur ut de structura iuridica Societatis ageretur. Quibus de deliberationibus hic agere non opus est. Conclusiones maximi momenti continentur in «Summa Instituti Formula», ab IGNATIO ipso redacta, manu

⁷ GHIRLANDA, G., Ecclesiastà della vita consacrata, in A. LONGHITANO (ed.), *Il Codice del Vaticano II*, Ed. Dehonianae, Bologna 1983, 13-52; specialiter 16-21.

RIBADENEIRA scripta, in bulla papali *Regimini Militantis Ecclesiae* PAULI III incorporata. Primum ius proprium Societatis in bullis pontificis scriptum est et haud aliter quam ius pontificum intellegi debet. Quae cum ita sint, leges substantiales Societatis a nemine infra Pontificem ipsum et hoc, de verbo ad verbum, derogari possunt.

Neque de qualitate iuridica primae approbationis vivae vocis oraculo apud Tivoli a PAULO III hic ago, quin dicatur eam proprio valore canonico non gaudere. Elementa enim essentialia exemptionis Societatis Iesu in legibus pontificis inveniuntur, nempe, in duabus formulis Instituti, id est *Regimini Militantis Ecclesiae* PAULI III anno 1540 et *Exposcit Debitum* IULII III decem post annos, anno 1550.

De qualitate legum exemptionis, primo dici potest exemptionem in legibus pontificis dari. Quae leges Ordinis in forma specifica confirmatae, suprema auctoritate canonica gaudent; his vel verbis similibus utuntur: «*ex certa nostra scientia*» vel «*ad perpetuam rei memoriam*»; sanationes errorum includunt et a nemine mutari possunt quin indultum apostolicum habeat, legem alteram de verbo ad verbum derogando⁸. At hoc factum est pro Societate, sicut pro Carthusianis atque aliis cum leges fundamentales horum Institutorum in bullis et brevibus apostolicis assumebantur ut etiam verbotenus in illis continerentur. Quo in modo leges foundationis Societatis leges papales sunt. Structura iuridica Societatis quoad codicem fundamentalem a persona pontificis dependet. Haec dependentia canonica personalis a Pontifice

⁸ RABIKAUŠKAS, P., *Diplomatica Pontificia* (Praellectionum lineamenta), Pontificia Università Gregoriana, 1980, Ristampa 1987: 52-55.

nihil aliud est quam exemptio. Exemptio non tantum independentiam ab episcopis quantum dependentiam personaliter a Pontifice atque a iuribus pontificiis ubi invenitur significat⁹. Quo ultimo in casu iurisdictio personalis Summi Pontificis illam exemptionem constituit quae figura iuridica unica Societatis Iesu est.

2. Historia brevis iurium Societatis Iesu pontificiorum

Illa documenta examinanda sunt, in quibus primum dignitatis auctoritatisque gradum obtinuerunt «Formula» Instituti seu «Regula» fundamentalis Societatis, primum a PAULO III, deinde exactius et distinctius expressa a IULIO III, atque a compluribus Pontificibus, forma specifica approbata sunt.

In principio dici potest primam bullam papalem, *Regimini Militantis Ecclesiae*, exemptionem implicite sed nondum verbis expressis exprimere. Continet, sicut supra dixi, qualitatem legis ipsius foundationis.

Primum documentum canonicum Societatis Iesu, nempe, *Regimini Militantis Ecclesiae*, assertionem implicitam fecit. Quo in textu de exemptione tractatur implicite sed de protectione instituti explicite agitur: «*Ipsosque (Societatis Iesu) Socios sub Nostra et huius Sanctae Sedis Apostolicae protectione suscipimus*»¹⁰.

⁹ BEYER, J., De novo iure [cf. nt. 4] 586.

¹⁰ PAULUS III, *Regimini militantis Ecclesiae*, *Prima Institutio- nis Bulla et Confirmationis Societatis Iesu*, 27 septembris 1540, in *Monumenta Historica Societatis Iesu*, vol. 63, tomus 1, pars 1, 24-32 in *Monumenta Ignatiana, ex autographis vel ex antiquioribus exemplis collecta, series tertia, Sancti Ignatii de Loyola, Constitutiones Societatis Iesu, Monumenta Constitutionum Praevia*, Romae, 1934, 459 pp. Postea: Cons MHSJ.

Vox exemptio una cum iteratione protectionis personalis Summi Pontificis iure pontificio Societatis imprimis apparuit bulla PAULI III *Licet Debitum*, 18 octobris 1549. Hic sequitur textus:

«*Ipsamque Societatem et universos illius socios et personas illorumque bona quaecumque ab omni superioritate, iurisdictione, correctione, quorumcumque Ordinariorum eximimus et liberamus, ac sub Nostra et praefatae Sedis (Apostolicae) protectione suscipimus*»¹¹.

Eadem bulla, modo etiam clariori:

«*Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrorum concessionum, statutorum, ordinationis, confirmationis, inhibitionum, exemptionis, liberationis, suspensionis, exhortationis, rogationis, mandati et derogationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursum*»¹².

Novem post menses structura canonica exemptionis Societatis bulla *Exposcit Debitum* IULII III 21 iunii 1550 clarius definitur et in paginis sequentibus a nobis examinabitur¹³.

Quae exemptio Societatis saepe et fortiter ab aliis Summis Pontificibus in legibus eorum pontificiis iterata et confirmata est. Notio confirmationis est legis iam legitime obtentae corroboratio. Saepe saepius confirmatio non tantum in forma communi sed etiam in forma specifica conceditur. Quae efficit ut lex existens

¹¹ PAULUS III, *Licet Debitum*, 18 octobris 1549, ConsMHSJ. vol. 63, pars 1, 361.

¹² *Loc. cit.*, 371.

¹³ IULIUS III, *Exposcit Debitum*, 21 iunii, 1550, *Loc. cit.*, 372-383.

corroboretur, si valida; revalidetur, si invalida; denuo restituatur, si cessavit. Enimvero confirmatio ex certa scientia novae concessioni legis aequivalet, novumque ius Societati confert, ac omnes defectus qui sanari possunt, sanat seu supplet¹⁴.

Sequuntur varia exempla huius confirmationis in forma specifica. Bulla *Ascendente Domino* 25 maii 1584 GREGORII XIII exemptionem Societatis sustinuit et roboravit:

«Quoscumque qui, in ipsam Societatem admissi..., tria vota substantialia... tametsi simplicia emiserint aut emittent in futurum..., huic Sedi (Apostolicae) immediate subiectos (esse) et a quorumvis Ordinariorum et delegatorum seu aliorum iudicum iurisdictione omnino exemptos, prout Nos etiam vigore praesentium eximimus»¹⁵.

Post suppressionem Societatis a CLEMENTE XIV anno 1773 atque eius restitutionem felicem bulla *Sollicitudo Omnium Ecclesiarum* a PII VII die 7 augusti anno 1814 exemptiones omnes ac privilegia Societatis a pontifice confirmatae atque de novo concessae sunt:

«Omnia collegia, domus, Provincias sociosque (in Societate) ... coniunctos et quos in posterum coniungi et aggregari contigerit..., sub immediata Nostra et huius Apostolicae Sedis tutela, praesidio et oboedientia recipimus»¹⁶.

¹⁴ CAPOBIANCO, P., *Privilegia et Facultates Ordinis Fratrum Minorum*, editio altera, Salerno, 1948, 22-27.

¹⁵ GREGORIUS XIII, *Ascendente Domino*, 25 maii 1584, *Institutum Societatis Iesu*, Florentiae, 1886-1891, vol. 1, 88-96. Postea Institutum.

¹⁶ PIUS VII, *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, 7 augusti 1814, *Institutum* vol. 1, 340-343.

Tunc denique tandem post Codicis Iuris Canonici promulgationem exemptiones, iura et privilegia Societatis littera apostolica *Paterna Caritas*, 12 martii 1933, a Pio XI confirmationem receperunt:

«*Decessoris Nostri Leo XIII verba mutuantes et Nostra facientes eisque vim atque efficaciam, Nostra addentes Auctoritate, omnes et singulas Litteras Apostolicas quae respiciunt erectionem, institutionem et confirmationem Societatis Iesu, per predecessores Nostros Romanos Pontifices a fel. rec. Paulo III ad haec usque tempora datas, tam sub plumbo quam in forma Brevis confectas... privilegia, immunitates, exemptiones, indulta, hisce Litteris confirmamus et Apostolicae Auctoritatis robore munimus, iterumque concedimus*»¹⁷.

Quae cum ita sint ad huius exemptionis naturam enucleandam procedimus.

3. Natura exemptionis Societatis Iesu

Quoad methodum huius analysis dicendum est fontem principalem etiam sed non primam exemptionis Societatis Iesu bullam pontificiam *Exposcit Debitum* a IULIO III, 21 iunii 1550 datam, esse. Qua bulla IGNATIUS unus cum Papa et primis sociis charismata atque iura propria totamque structuram canonicam Societatis adhuc vigentem exactius et distinctius exprimebant. Gratia foundationis Papae PAULI III atque IGNATIO primisque sociis data et bulla *Regimini Militantis Ecclesiae*, anno 1540 expressa, non mutata sed decem post annos melius intellecta et expressa bulla IULII III *Exposcit Debitum* anno 1550 renovata fuit.

¹⁷ PIUS XI, *Paterna Caritas*, 12 martii 1933, *Societatis Iesu Constitutiones et Epitome Instituti*, Roma, 1962, 25.

Quibus de documentis dicitur primum dignitatis auctoritatisque gradum in Instituto obtinuisse «Formula» Instituti seu «Regula» fundamentalis Societatis, primum a PAULO III, deinde a IULIO III melius expressam atque a compluribus successoribus, in forma specifica approbatam, quae in Ius Pontificium transiit¹⁸.

Quo igitur bullae *Exposcit Debitum* studio lineamenta exemptionis Societatis inveniuntur et exprimuntur. Haec secunda Formula Instituti Societatis Iesu melius et exactius essentiam exemptionis Societatis exprimit atque quali iure Societas regatur demonstrat. Profundius explicatur hac de exemptione Societatis, hac de dependentia personali a Summo Pontifice et de eius implicationibus iuridicis.

Exemptio Societatis non recte intelligitur quin una cum charismate Societatis intelligatur. Charisma simul est spiritus et structura. Charisma tamen in legibus neque continetur neque contineri potest. Expressio canonica Instituti exemptione gaudet. Anima huius expressionis habetur in Exercitiis Spiritualibus ut infra (notis 30 e 31) explicabitur. Quod plane videtur canonicis in documentis principalibus Societatis, immo in duabus Formulis Instituti. Quam ob rem actio charismatica qua Societas sub Domino et Pontifice militat suam formam iuridicam bulla *Exposcit Debitum* recepit:

«Dilecti filii Ignatius de Loyola, et Petrus Faber ac Iacobus Laynez ... Spiritu Sancto afflati ... (verba primae Formulae «*ut pie creditur*» a Pontifice hic sublata sunt. Quo in modo Pontifex voluntatem suam clare exprimit et Spiri-

¹⁸ *Compendium Practicum Iuris Societatis Iesu*, 2a editio recognita, Romae, 1986, 10.

tus activitatem confirmat) ... *eorum vitam perpetuo Domini nostri Iesu Christi atque suo et successorum suorum Romanorum Pontificum servitio dedicaverant... quisque iuxta traditam sibi ab ipso Spiritu Sancto gratiam*¹⁹.

Generatim: tota Societas Spiritu afflata Deo sub Pontifice militat. Expressis verbis eiusdem bullae:

*«Quicumque autem in hac Societate professionem emerint... memores sint, Societatem hanc universam et singulos qui in ea profitentur, sub Sanctissimi Domini Nostri Pauli III et aliorum Romanorum Pontificum successorum eius fideli oboedientia Deo militari»*²⁰.

Speciatim: per quartum votum:

*«Ob devotionem tamen maiorem ad oboedientiam Sedis Apostolicae et maiorem voluntatum nostrarum abnegationem et certiore Sancti Spiritus directionem, summopere conducere iudicavimus, singulos ultra illud trium votorum vinculum, speciali ad hoc voto adstringi, ut quidquid modernus et alii Romani Pontifices pro tempore iusserit ad profectum animarum et cetera exsequi teneamur»*²¹.

Quo modo ministerium et missio Societatis Spiritus Sancti afflatu cum ministerio et missione Pontificis arctissime ligantur. Hoc principium maximi momenti est, quia principium omnino novum in historia ordinum religiosorum constituit, nempe, clarissimo modo affirmat Romanum Pontificem superiorem internum Societatis esse. Quae cum ita esse videantur, oportebit IGNATIO in Constitutionibus condendis ut explicet quo in modo Papa, quo in modo Praepositus Genera-

¹⁹ IULIUS III, *Exposcit Debitum*, 21 iunii, 1550, ConsMHSJ vol. 63, pars 1, 374.

²⁰ *Loc. cit.*, 377.

²¹ *Loc. cit.*

lis Societatis superiores sint. Longius hac de materia in parte septima Constitutionum Societatis Iesu tractatur.

Quia praeter contentum quarti voti quoad Summum Pontificem, unusquisque oboedientiam Praeposito Generali etiam vovet; sicut Societas militat sub Domino atque eius Vicario Pontifice atque in illo (Praeposito) Christum agnoscat, et quantum decet, veneretur. Quibus verbis expressis nexum charismatum Christum inter et Pontificem et Generalem affirmatur:

«Voveant etiam singuli, se in omnibus, quae ad Regulae huius nostrae observationem faciunt, Societatis Praeposito... oboedientes fore. Ille autem omnem eam auctoritatem et potestatem habeat supra Societatem, quae ad bonam eiusdem Societatis administrationem, correctionem et gubernationem erit... Singuli vero subditorum, tum propter ingentes ordinis utilitates... non solum Praeposito in omnibus ad institutum Societatis pertinentibus parere semper teneantur; sed in illo Christum veluti praesentem agnoscant, et quantum decet, venerentur»²².

Quam ob rem Praeposito Generali bulla concessit omnem potestatem ordinariam propriamque ut ad Constitutiones adhuc condendas procederet.

«Ille autem omnem auctoritatem et potestatem habeat supra Societatem, quae ad bonum eiusdem administrationem, correctionem et gubernationem utilis erit»²³.

Quae potestas ultra exactius definitur: *«Iubeat autem ea quae ad constructionem propositi sibi a Deo et a Societate finis cognoverit esse opportuna»²⁴.*

²² Loc. cit., 378-379.

²³ Loc. cit.

²⁴ Loc. cit.

Quo mandato expresso IGNATIUS collatis cum primis sociis consiliis annis sequentibus Constitutiones Societatis condidit. Constitutionibus conditis, Consilium (Congregatio Generalis) plena auctoritate atque potestate legifera in Societate polleat: «*Consilium vero necessario convocandum ad condendas vel immutandas Constitutiones et alia graviora*»²⁵.

Ergo in Societate ius ad legem ferendam habetur. Haec potestas leges ferendi in Societate etiam in independentia a Dicasteriis Sanctae Sedis habetur. Huic potestati definiendae et exercendae applicantur canones 131, 133 et 137-144. Difficilis quaestio est ipsius potestatis Ecclesiae participatio, quae plena est, si plena est potestas regiminis qua Constitutiones et decreta vim habent legis ecclesialis immo a nulla alia Ecclesiae auctoritate sunt recognoscenda et approbanda, vi exemptionis. Breviter analogice leges Ecclesiae sunt et recte dicuntur²⁶.

Sequens igitur paragraphus bullae potestatem legiferam confert simul et exemptiones et libertates quae omnes denuo iteratae sunt. Quo in modo Societas potestatem legiferam una cum exemptionibus atque independentia a Dicasteriis Sanctae Sedis iure papali habere videtur:

«Socios ac illorum Coadiutores praedictos, et ipsius Societatis scholares a quibusvis excommunicationis... aliisque ecclesiasticis censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis... absolventes et absolutos fore censentes, illosque sub nostra et Apostolica Sedis protectione suscipientes: Motu proprio et ex certa nostra scientia, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, erectionem et institutionem Societatis, ac extensionem numeri illius

²⁵ Loc. cit.

²⁶ BEYER, J., De novo iure... [cf. nt. 4].

Sociorum, ac receptionis et admissionis Coadiutorum, ac omnia et singula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, et condendi et alterandi statuta et ordinationes, ac alia quaevis indulta, eisdem Societati et illius Praeposito, per praedecessorem nostrum et Sedem huiusmodi, sub quibuscunque tenoribus et formis concessa et confirmata, ac desuper confectas, tam sub plumbo quam in forma brevis, litteras, et in eis contenta ac inde secuta quaecumque, perpetuo approbamus et confirmamus, ac eis perpetuae firmitatis robur adiicimus, supplentes omnes et singulos, tam Iuris quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem».

Postea bulla patriarchas, episcopos, abbates et prelatos alios urget ut Societatem defendant. Societas illam libertatem a comminatione excommunicationum recipit qua semper gaudebat atque contra canonem 1320 codicis vigentis gaudet:

«... interdicti, suspendi vel excommunicari non possit per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem»²⁷.

Leges quibus Ordo vel Institutum Vitae Consecratae gubernantur partem faciunt Ecclesiae iuris canonici et principiis constitutionis divinitus Ecclesiae datae non obsistunt neque ullo modo repugnant²⁸. Quam ob rem intra limites officii et potestatis ordinariae eorum, episcopis subsunt. Episcopi simul ius proprium et iura quaesita Societatis canonibus 4 et 591, ut supra explicatum est, tenentur.

²⁷ ConsMHSJ vol. 63, pars 1, 383.

²⁸ PIUS XII, AAS 43 (1951) 28-29: «*Sed et Religiosorum exemptio, neque principiis constitutionis divinitus Ecclesiae datae obsistit, neque ullo modo repugnat legi, qua sacerdos Episcopo parere debet. Etenim ad normam iuris canonici religiosi exempti episcopi loci potestati subsunt, prout episcopale munus perfungendum et animarum rite ordinanda curatio requirunt*».

PAULUS III est una cum IGNATIO co-fundator Societatis Iesu. PAULUS III est una cum IGNATIO superior internus Societatis Iesu. Quae cum ita sint, quaeritur, quo in sensu, Praepositus Generalis Summus Superior Societatis sit. Estne vero superior vel delegatus? Potestas eius estne vicaria vel ordinaria? Respondeo dicendum quod desit in iure canonico conceptus validus ad statum particularem superioris generalis Societatis exprimendum. Superior generalis accepit suam potestatem ab Ecclesia, via hierarchica, nempe a Summo Pontifice et iure proprio. Ille ergo in hoc sensu verus vicarius Pontificis est.

In duabus formulis instituti et in bullis et in brevibus et in Constitutionibus et litteris pontificum et in formulis et Constitutionibus Societatis superior generalis etiam superior vel praepositus realis Societatis est, et vota oboedientiae a sodalibus omnibus in virtute sui officii accepit. Ergo, superior generalis potestatem habet ordinariam propriamque simul et vicariam. Ad hoc problema solvendum scripsit IGNATIUS partem septimam Constitutionum.

4. Conclusio brevis de Societate Iesu exemptione

Ex dictis clare apparet visio structurae iuridicae Societatis Iesu quae dicitur exemptio. Potestas publica regiminis, qua ampla et libera gaudent Praepositus, Congregatio Generalis atque alii plurimi rectores et superiores, a Pontifice tali modo personaliter dependet ut a nullis auctoritatibus infra ipsum Pontificem limitetur vel limitanda sit. Sensus positivus exemptionis Societatis hic est: Societas, uti digitus papalis activo-apostolicus, et iure pontificio personali et iure proprio gaudet.

5. Quaedam elementa essentialia exemptionis

i) Exemptio definienda est ex eius origine, nam alia est exemptio in actu foundationis sicut pro Societate Iesu; alia in regula approbanda; alia porro in communicatione privilegiorum. Exemptio Societatis Iesu neque per confirmationem, neque per communicationem sed ut supra demonstratum est, in ipso actu foundationis concessa est. Difficulus quis conceptum iuridicum institutis exemptis rigide in hac materia applicare potest. Historia hac in re non tantum vitae sed etiam legis magistra est.

ii) Exemptio definienda est etiam secundum rationem materiae: essentialia Societatis a Summo Pontifice personaliter dependent. Ut supra demonstravimus habetur ergo independentia a Congregatione Religiosorum. Quaedam iura in votis dispensandis habentur. Quaedam independentia a Congregatione Religiosorum habetur quia mutationes in Constitutionibus et Decreta Congregationum Generalium confirmationem ab hoc Dicasterio non requirunt. Intactum manet ius pontificium quoad Formulam Instituti, mutandum a nemine sub Pontifice. Methodus apostolatus propria a Pontificibus approbata est, ius pontificium est et immutabile ab allis omnibus. Methodus quoque docendi et educandi in collegiis et Congregationibus marianis (hodiernae Communitates Vitae Christianae), ad modum tertii ordinis, propriis ecclesiis Societatis Iesu independentia gaudent. Methodus tradendi Exercitia Spiritualia statuitur bulla *Pastoralis Officii Cura*, die tricesimo primo Iulii, anno 1548²⁹.

²⁹ PAULUS III, *Pastoralis officii cura*, 31 iulii 1548, MHSJ, vol. 100, 77: «*Documenta et exercitia praedicta ac omnia et singula in eis contenta, auctoritate praedicta, tenore praesentium, ex certa*

Quae exercitia igitur sub canone can. 839 § 3 non cadunt. Quae Exercitia partem Instituti Societatis Iesu faciunt³⁰. Hac de re optime scriptum est³¹.

iii) Distinguendae sunt autonomia externa et interna. Charismata donantur Ecclesiae; non tantum ad opus ad intra sed etiam ad extra; apostolatus est proprius et servandus. Aspectus internus et aspectus externus autonomiae inclusi sunt in exemptione, non ei opponendi. At ob idem charisma eiusque veritatem tuendam nemo non videt ipsam internam autonomiaem esse arcte coniunctam cum autonomia externa qua sodales et eorum instituta proprium in agendo explicant spiritum, propriam in ministerio etiam communi retinent mentem, quae vis eorum propria est neque tollenda vel mutanda contra Spiritus Sancti dona eorumque in Ecclesia valorem et efficacitatem³². Plane ergo demonstrari potest exemptionem

scientia nostra *approbamus, collaudamus ac praesentis scripti patrocínio communimus, hortantes plurimum in Domino et singulos utriusque sexus Christi fideles ubilibet constitutos, ut tam piis documentis et exercitiis uti, et illis instrui devote velint*».

³⁰ *Compendium Practicum Iuris Societatis Iesu*, 2a editio recognita, Romae, 1986, 11: 1 - § 1. *Nomine Instituti Societatis intelligitur cum nostra vivendi atque operandi ratio tum documenta scripta quibus haec ratio authentice et legitime proponitur. Horum documentorum alia sunt variae leges, alia autem sanas Societatis traditiones ostendunt.*

§ 2. *Ad gratiam nostrae vocationis, prout in Instituto descriptae, fideliter servandam, maximo valore Exercitia Spiritualia nostri S. Fundatoris gaudent, tam uti fons perennis illorum donorum interiorum, ex quibus efficaciam permanere ad finem nobis propositum oportet, quam uti expressio viventis spiritus ignatianus quo leges nostrae omnes moderandae sunt et interpretandae. (Collectio Decretorum Congregationum Generalium, d. 1a, 1977).*

³¹ ALDAMA DE, A., *La Formula del Instituto de la Compañía de Jesús*, Centrum Ignatianum Spiritualitatis, Rome, 1981, 65-78.

³² BEYER, J., *De novo iure...* [cf. nt. 4] 587.

in institutis sensum ecclesialem habere intus extraque.

iv) Ius proprium instituti exempti non recte dicitur privilegium? Distinguitur: stricte canonice: ita; psychologicè res est omnino vitanda. Privilegia et exceptiones et favores vitentur; dum ius proprium non est exceptio sed ipsa ratio vitae ex charismate proprio, lex propria, lex ecclesialis. Quam ob rem optime loquimur hodie de Iure Proprio, de Iure Societatis Iesu.

v) In Ordinibus superiores iuxta can. 134 § 1 sunt Ordinarii et in Ordinibus exemptis plena potestate gaudent.³³

vi) Habetur in pluribus Ordinibus propria liturgia sub ductu superiorum et capitulorum.

vii) Habetur propria vita communis in proprio territorio in casibus ubi Abbatia etiam Abbatia territorialis est e.g. Subiaco et Monte Cassino. Abbas est aliquando episcopus cum territorio. Haec videri possunt in *Annuario Pontificio*.

viii) Tandem vero rogatur num exemptio qua vox, vox felix sit necne. Respondeo negando vocem «exemptionem» vocem felicem esse. Quare? Breviter, sicut supra dixi, vox exemptio quoad institutum vitae consecratae implicat servitium atque potestatem executivam, legislativam et iudicalem in Ecclesia, tum universali tum particulari. Quod servitium arctissime coniunctum est cum ministerio Petri Summi Pontificis.

ix) Plane demonstrari potest exemptionem in institutis sensum ecclesialem habere intus extraque.

x) Alia plura sunt admittenda. Plura autem de

³³ GHIRLANDA, G., *Il Diritto nella Chiesa, Mistero di Comunione*, Roma, 1990, 432, 176, 191.

exemptione adiungi possunt, quae hic defectu spatii temporisque exponere non possumus. Articulus alter requiritur, ad iura exemptionis melius una cum canonicis novi codicis ponderada.

6. Exemptionis quaedam definitio

Quid tandem est exemptio? Negative expressa est subtractio institutorum a potestate Ordinariorum locorum; positive est actus primatus Summi Pontificis ad utilitatem quoque instituti et ecclesiae universalis. Ecclesia universalis non est summa ecclesiarum particularium; est quid plus. Includit etiam instituta vitae consecratae. Approbatio iuris proprii alicuius instituti tali modo ut institutum suum ius proprium a Pontifice personaliter acceperit, aut ab initio aut postea, illam figuram iuridicam constituit, nempe, exemptionem. Una lex ecclesialis omnes inter leges canonicas Ecclesiae est exemptio.

DAVID J. KAY, S.J.